



X 450



DISPUTATIO ACADEMICA
de
SCIENTIA DEI
LIBERA SEU VISIONIS,

Quam
RATO NUMINIS ARBITRIO
IN ILLUSTRISALANA

SUB PRÆSIDIO
VIRI AMPLISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI
DN. JOH. CHRISTOPHORI
Hundesghagen/ Log. & Philosophiæ
Primæ Professoris Publici Ordinarii,
Publicæ & placidæ ventilationi exponit

RESPONDENS
CASPARUS CALVORIUS,
Hildesiensis Saxo.

In Auditorio Philosophorum horis solitis

JENÆ,
Litteris MÜLLERIANIS,
ANNO M. DC. LXIX.

X 150 (72)

BIBLIOTHECA ACADEMICA

SCIENTIA DEI

LIBRARIA SECVLIVISIONIS

INSTITVTIO

IN ALBERTINA

SUB REGNO

MAXIMILIANO VI

DR. JOH. CHRISTOPHORI

PHILOSOPHIAE

PROFESSORIS

ORDINIS

RECTORIS

CASPARUS CARSTENIUS

LIBRARIUS

In Auctoritate Philo...

JENAE

LIBRIS MULLERIANIS

ANNO MDCCLXIX





B. C. D.
DISPUTATIO
De
SCIENTIA DEI LIBERA
SEU VISIONIS.

§. I.

Sse in Deo Scientiam patet non tantum ex *Lumine Revelationis*, per quod DEUS se nobis supernaturaliter revelavit, quodque quædam Omnipotentis DEI Epistola ad suam creaturam est, quâ suam essentiam & voluntatem luculentis testimoniis ipse patefecit, quibus propterea fidem habere tenemur, quod per immediatam inspirationem ipsius DEI, qui nec falli nec fallere potest, à Viris Sanctis indubitato consignata & adeò prorsus infallibilia sunt. Sed etiam illud ex *Lumine Naturæ* luculenter adparet, quod Lumen Naturæ nihil aliud est, quàm noster intellectus agens cum rerum sensibus cognitarum & in phantasiâ representatarum phantasmatis conjunctus, qui non secus ac Lumen colores potentiâ visibiles actu visibiles, res potentiâ saltem intelligibiles actu reddit intelligibiles. Nos missò Revelationis Lumine ex solò Naturæ Lumine DEI Scientiam probatum ire volumus.

A 2

§. 2.

§. 2. *Prima ergò ratio hæc sit: Omne quod agit propter finem, aut sibi finem præstituit aut ipsi finis ab aliò præstituitur: Sed agentia naturalia agunt propter finem, quia uniformiter & certò operantur; ergò aut ipsa sibi finem præstituunt, aut ab iis præstituitur. At verò multa agentia naturalia non possunt sibi præstituere finem, quia carent cognitione, ut ignis & aqua &c. Ergò ab aliò præstituitur illis finis, in quem diriguntur. Sed ille alius non potest esse nisi DEUS, quia est causa illorum & supra omnia illa. Ergò DEUS ordinat illa omnia in suos fines. Sed ordinare alia in finem, nequit fieri absque intellectu, scientiâ atque cognitione. Ergò DEUS est substantia intelligens, Scientiâ & cognitione prædita.*

§. 3. *Secunda ratio hæc esse poterit: Si mente & intelligentiâ præditum esse, perfectio quædam est, imò inter omnes creaturarum perfectiones ferè prima, maximè illa DEO competit: nihil enim tale in creaturis esse potest, quod non longè excellentius in ipso DEO sit. Neque DEUS tantum intellectu pollet, sed omnia quoque scit & novit; si enim omnia produxit, omnia regit, ecquid Scientiam ejus fugiat? Unde Maximus Tyrius Platonicus mentem divinam Soli comparat, & hujus instar unò obtutu omnia videre agit, quod postea ex nostris Boëthius ita expressit:*

*Huic ex alto cuncta tuenti
Nullâ terra mole resistunt,
Non nox atris nubibus obstat.
Qua sunt, qua fuerunt, veniuntque
Unò mentis cernit in ictu,
Quem quia respicit omnia solus,
Veram possis dicere SOLEM.*

§. 4.

§. 4. Tertia ratio hæc adfertur: Omne agens agit propter finem: DEUS est nobilissimum agens. Ergò DEUS agit propter finem. Iste finis jam est alius extra DEUM, vel est ipse DEUS. Si alius extra DEUM, vel intendit eum per cognitionem, & tunc habemus, quod volumus, vel absque cognitione. Si absque cognitione, dirigetur ab aliò, quod est contra naturã primi principij, uti est DEUS. Si autem DEUS est finis sui ipsius, ergò cognoscit se & appetit se; alioquin non esset finis sui; nam finis non est finis, nisi appetatur, non appetitur nisi cognitus; est enim cognitio conditio ad finis causalitatem exercendam necessaria. Plures ratões qui exposcit adeat Thom. Aquin. in summa contr. Gentes l. 1. c. 44. & Ferraricensem in commentarijs ibidem.

§. 5. Hæc Scientia DEI est universalissima, quia extendit sese ad omnia scibilia; perfectissima, tum extensive, quia est universalissima, tum intensivè, quia ut omnia attributa DEI, sic & scientia DEI dicit perfectionem infinitam. Hebr. IV. v. 13. Omnia sunt nuda & intimè patentia oculis ejus. Psal. 7. v. 10. Scrutator est cordinum & renum DEUS. Psal. 44. v. 22. DEUS cognoscit abscondita mundi. 1. Reg. II. 39. Tu nosti solus animum omnium filiorum hominis. Quò facit, quod Seneca dixit: sic certè vivendum est, tanquam in conspectu vivamus, sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere possit: & potest; quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? nihil DEO clausum est: interest animis nostris & cogitationibus medijs intervenit. Ideò Scientia DEI est etiam verissima, quia rem videt eò modò, quò est; & in DEO, qui est ipsa veritas, nulla potest reperiri falsitas. Certissima & in fallibilis,

lis, decipi enim est ex errore; at in Deum nō cadit error; *Simplicissima*, quia unō actu & ictu intelligit quæcun- que intelligit: & pugnaret actuum sciendi plurium successio cum eius immutabilitate & æternitate.

§. 6. Quamvis jam extra omnem dubitatio- nem sit positum, DEO convenire Scientiam, quâ ra- tione tamen & in quâ significatione ei tribuatur, non liquidò statim apparet. Vox Scientiæ est *πολύσημος* & varias admittit significationes. *Aristoteles l. 1. post. c. 1.* meminit scientiæ Sophistarum, cum ait: *scire puta- mus rem simpliciter, non sophistico modo i. e. ex accidente* &c. Ad quæ verba *Averrões* annotat, talem significari scientiam, quâ cognoscit res propter rem ei acciden- tem, quem modum faciunt Sophistæ. Et *Themistius*, in d. 1. ait: *Scire sive scientiam quandoque latius sumi, cū omnium notitiam, qualiscunque sit, seu de solis accidenti- bus rei, seu aliâ ratione quasitâ, scientiam vocamus. v. gr. cum quis ita colligit: noctu quispiam circumvagatur E. Fur est: Mulier lac habet. E. peperit.* possibile enim est, aliquem noctu circumvagari, nec tamen furem esse; mulierem lac habere, nec tamen peperisse. Ve- rùm hæc scientia, quum aliquid tantum ex accidente cognoscitur, magnam involvit imperfectionem, quæ ut ipsi DEO tribuatur, non permittit. Acquiritur enim hæc scientia per Syllogismum, qui ἐξ εἰκότων verisimilibus procedit, qui cum admodum sit incertus & non sequatur, ἡ γυνὴ γάλα ἔχει, τέτοκεν ἄρα, id propter DEO attribui nequit.

§. 7. Deinceps scientia sumitur non nihil pres- sius apud ipsum Aristotelem, cum scire putamus quam- que rem, cum putamus causam cognoscere, propter quam res est, eius rei causam esse, nec posse eam rem aliter se ha- bere,

bere. VEL, ut Themistius habet, quum causam illam tenere credimus, à quâ res ut sit, habet, & quæ causa esse cognoscitur: nec putamus id aliter esse posse, ac sic. Hæc propria, hæc simplex & absoluta scientia est. Qualis scientia videtur spectare ad conclusionem Demonstrationis, quæ ex præmissis veris primis deducitur; talem enim certò scimus, quia in præmissis causa propter quam erit, quod in conclusione subjecto dicitur in esse, allata fuit.

§. 8. Verum enim verò nec hæc Scientia Deo attribui poterit, quippe quæ magnâ importat imperfectionem; acquiritur enim per Demonstrationem, in quâ adfertur causa propter quam, unde ad eam obtinendam necesse est, ut quis prænoscat principia prima, imò, ut ea magis sciat. Sed Deum per Demonstrationem sibi scientiam conclusionis acquirere ἀτόπου est. Etenim principia, quæ Demonstrationem ingrediuntur, possunt dupliciter spectari. (1.) quatenus conclusio nondum est illata, sed adhuc ignoratur. (2.) quatenus conclusio est demonstrata & cognita. Illo modo si principia spectantur, absurdum est, Deo omniscio talia tribuere principia, ut per ea conclusionis prius ignoratæ scientiam acquirat, sic enim aperte DEO tribueretur quædam ignorantia. Hòc modò si sumuntur principia, requiritur, ut sint magis, h. e. firmitus & certius cognita, quàm conclusio; ac verò adferere DEUM acquirere vel acquivisse scientiam per principia certius & firmitus cognita, est dicere, DEUM aliquid non satis certò & firmiter cognoscere, cum alia certius & firmiter cognoscat, adeoque alia perfectiori; alia minus perfectò modò cognoscere, quæ falsa & absurda esset, quilibet, qui Tiresiâ nò est cœci-

or, videt. Quò accedit, quod DEUS non cognoscat unum per aliud, sic enim ex cognitione unius deducetur in cognitionem alterius, sed, cognoscit unum in aliò aut cum illò.

§. 9. Tertiò vox Scientiæ sumi consuevit pro *Habitu demonstratiuò*, qui demonstrat Affectionem de subiecto, ut Physica & Metaphysica: In hóc sensu Scientia DEO tribui nõ poterit, quod ut intelligatur, sciendum est, duo requiri ad omnem Habitu, *primò*, ut potentiæ naturali superaddatur; deinde, ut eandem in operando faciliat; sicut e. g. habitus Logicæ non tantum superadditur intellectui hominis; sed & facilitatem in ratiocinando ei largitur; cum enim Logicus ratiocinatur; duo sunt spectanda (1.) ipse ratiocinandi actus. (2.) facilitas & promptitudo ratiocinationis; prius illud præcisè intellectui hominis; posterius autem habitui, quia intellectui fuit additus, adscribendum est: quod enim prompta & facilis illa ratiocinatio est actio seu intellectio, id non ab habitu, sed præcisè ab intellectu habet, qui eam elicit: cum verò hic sibi relictus talè cognitionè tam facilè elicere nequeat supervenit habitus Logices, à quò præcisè actio habet facilitatem s. promptitudinem. Sed quis tam ab omni bonâ mente remotus esse velit, ut statuere non erubescat, potentiæ DEI cognitivæ aliquid superaddi, sic enim admitteretur in DEO potentia passiva, quæ imperfectionis argumentum est certissimum. Postea Habitus auget virtutem potentiæ in operando, quod de DEO iterum asserere impium est, nam sic præsupponeretur, potentiam DEI in se spectatam non fuisse sufficientem ad talem operationem, quod maximam argueret imperfectionem.

§. 10.

§. 10. Denique Scientia sumitur vel in actu primò, vel in actu secundò. In actu primò nihil aliud est, quam habitus scientiæ vel potentiæ sciendi, quò sensu Physica & Methaphysica appellantur scientiæ. In actu secundò verò est ipsa actualis cognitio vel ipse cognoscendi actus. At hæc etiam Scientia hîc locum meretur nullum, nam Scientia DEI in actum primum & secundum propriè dividi non potest, sicuti scientia alicujus creaturæ; quoniam scientia DEI nō est nisi essentialis ac substantialis, adeoque purissimus actus, ideò est simul primus & secundus actus, & scientia DEI in actu quasi primò considerata, est ipsa quasi actualis cognitio, sicut etiam actus secundus. Dico ipsa quasi actualis cognitio, ut negem in DEO dari actum secundum, qui sit actuale exercitium principii realiter producentis; Sed est actus secundus, qui est ultima perfectio actualiter existens. Ideò in DEO nō est actus primus, qui sit potentia realiter productiva operationis, sed actus primus & secundus simul sunt. Si tamen aliquis hâc distinctione intellectûs humani imbecillitatem juvari existimaverit, tunc actus primus erit possibilitas cognitionis per intellectionem & conceptum nostrum præcisa ab ipsa actuali cognitione. Possumus enim concipere, DEUM posse intelligere, non concipiendò expresse, quod actualiter intelligat vel cognoscat. Et hōc modò si explicetur actus primus & secundus, concedi potest, Scientiam in actu primò esse potentiam sive ipsam essentiam divinam, quæ potens est intelligere & cognoscere, secundum prædictam præcisionem ab actuali cognitione. Scientiam verò in actu secundo esse ipsam actualitatem illius cognitionis à nobis ita conceptam.

B

§. 11.

§. 11. Multò minus Scientia DEI fit per speciem intelligibilem intellectui superadditam; nam species intelligibiles intelligentem perficiunt & ad actum suum eliciendum reddunt aptum & idoneum, notantque insuper variam imperfectionem, tum potentiae passivæ, tum Distantiæ cognoscentis ab objecto cognoscibili, hinc talis cognitio per speciem intelligibilem in DEUM cadere non solet.

§. 12. Sumitur ergò Scientia DEI h. I. pro aperta & clara intelligentiâ ejusque veritatis sive rei: seu pro ipsâ cognitione intellectuali certâ & evidente.

§. 13. Hæc Scientia DEI ut ut ex parte DEI una tantum sit, nempe ipsa DEI essentia, quæ sicut una tantum est Scientia DEI, ob diversitatem tamen objecti seu scibilis triplex constituitur. Quod ut intelligatur, notandum, quod res extra DEUM, quæ sunt objectum Scientiæ divinæ, possint considerari (1.) sub ratione possibilitatis, seu quatenus ab æternò fuerint possibiles; quatenus igitur ad eas, sub ratione possibilitatis spectatas, terminatur Scientia seu intellectus DEI, vocatur Scientia *naturalis*. (2.) quatenus absolutè sunt futuræ; & sic quatenus Intellectus vel Scientia DEI versatur circa has res, ut sunt futuræ, Scientia DEI dicitur Scientia *Libera* (3.) quatenus non absolutè futuræ, sed saltem sub conditione, ita ut futuræ sint conditione istâ impletâ, eatenus vocatur Scientia *conditionata* seu *Media*. Nos in præsentî potissimum de Libera Scientiâ acturi sumus.

§. 14. *Libera* Scientia ideò sic dicitur, quia DEUS per eam res *liberè* cognoscit, ut potuerit eas non cognoscere; si enim decrevisset eas non producere, potuisset etiam eas non cognoscere, ut futuras, præteritas aut præsentis.

§. 15.

§. 15. Scientia hæc Visionis seu Libera pro ob-
jecto habet non tantum præsentia & præterita, sed e-
tiam absolutè futura.

§. 16. Hic prolixè disputant Autores, quidnam
sit futurum esse? *De futuritione P. H. Mendoxa disp. de
an. s. 6. subs. 1. §. 13. ait: Quid sit, rem esse futuram, adeò
per se notum videtur, ut verba desint, quibus clariùs ex-
planetur. Ac timeo in futuritione inquirendâ, ne quis
arbitretur, me in scirpò quarere nodum.* Quamvis au-
tem res hæc Mendoxæ adeò facilis & per se nota vi-
deatur, non tamen defuerunt, qui in sententiarum di-
vortia hic abirent. Sunt qui rationem futuri desumen-
dam esse dicunt à Voluntate DEI volente rem esse,
antequam sit. Et sic futurum aliquid erit, quia DE-
US illud ipsum, quod nondum est, vult esse. v. gr. or-
tus Solis erat futurus, quia DEUS ita vult. Sed hæc
sententia non unò nomine est falsa. Nam licet vel
maximè in naturâ & ratione formali futuri assignan-
dâ aliqua habenda sit ratio voluntatis divinæ, ea ta-
men naturam futuri non exhaurit, neque hoc, quod
voluntas DEI aliquid vult, sufficit ad hoc, ut aliquid sit
futurum. Sicut enim, quod res præsens est, non à
solâ voluntate DEI habet, sed requiritur etiam causa
secunda: Ita per hoc solùm, quod DEI voluntas ali-
quid vult, res nondum dicetur futura, sed ratio quoq;
habenda erit causæ secundæ: sæpissimè enim fieri so-
let, ut DEUS velit aliquid à voluntate divinâ fieri,
quod tamen ideò *futurum* non est. Sic DEUS vult,
ut omnes homines verbo suo credant & organa ad-
mittant, per quæ fides in ipsorum cordibus accendi
solet, neque tamen hoc statim fieri assolet. A Vo-
luntate igitur divinâ minus rectè petitur ratio futuri.

Imò aliud videtur esse *volitum*, aliud esse *futurum*, & esse *volitum* prius videtur esse *non esse futurum*. Res enim prius ut *volita*, deinde ut *futura* concipitur. Postea Voluntas divina sicut vult cum causâ concurrere ad productionem ejus, quod *futurum* esse dicitur: ita prior est *futurò* & ad ejus rationem non pertinet. Alia enim voluntas divina hîc intelligi non potest, quam voluntas concurrenti cum voluntate creatâ & liberâ, cùm imprimis sermo sit de futuris contingentibus intrinsecè talibus, quæ ordinem dicunt ad Voluntatem creatam, cum quâ DEUS concurrere vult. At verò voluntas DEI voluntatem creatam relinquit liberam & indifferentem ad agendum & non agendum, ut etiam libera sit stante tali voluntate & decreto: at verò quamdiu voluntas præcisè spectatur sub ratione indifferentiæ, seu quatenus ad agendum & non agendum indifferens est, nondum concipimus actum *futurum*, ut ut adsit voluntas & decretum DEI. Ergò voluntas & decretum DEI non facit, ut aliquid sit *futurum*.

§. 17. Alii aliter hâc de re judicant & sentiunt dicentes, quod *futurum nihil aliud sit, quàm id quod habet esse in causâ aliquâ determinatâ, & nondum habet nec habuit illud in se*. At verò hi rem etiam non tetigisse videntur. Inquiritur enim hîc in primum conceptum & rationem formalem futuri, qui non debet assignari per aliquid, quod eò quoad rationem prius est, ut quis facile concedet, quivis modò, quid primus conceptus sit, intelligit. Hoc tamen faciunt hujus sententiæ Patroni; Prius enim nostra ratione concipimus, rem habere esse in causâ determinatâ, quàm eam futuram esse. Imò hâc sententiâ stante, futurum
cogno-

cognoscere nihil aliud erit, quam illud cognoscere, in causa, vel causam ejus, ut est determinata ad illud producendum cognoscere, quod admittendum non esse quilibet, qui Tirasiâ non est cœcior, videt.

§. 18. Verius dicetur, *Futurum formaliter esse existentiam rei in instanti sequenti connotando carentiam ejus in instanti presenti.* Ut ita duo ad futurum requirantur, (1.) In instanti sequenti esse. (2.) in præsentis instanti esse. Nec est, quod objicias, rem *nunc* esse futuram; E. posterius requisitum est supervacuum. Sic enim simili modò inferre possem: Id, quod nunquam est, vel erit, esse tamen non repugnat, *nunc* est possibile. E. est in præsentis instanti: quod tamen manifestò falsum. Quando ergò dicitur, rem *nunc* esse futuram, sensus est, rem, quæ *nunc* non est, ita se habere, ut licet *nunc* non existat, in instanti sequenti tamen extitura sit, adeoque in *præsenti instanti* de eâ dicere, quod sit, falsum dicere sit: *in sequenti* autem verum.

§. 19. Sunt Futura vel Necessaria vel Contingentia; *Necessaria* vocantur, quæ necessariam connexionem habent cum suâ causâ, ut, dum sunt, necessario fiant. *Contingentia*, quæ talem connexionem cum suâ causâ non habent, sed ita sunt futura, ut possint etiam non esse futura, & si aliquando, fiunt, ita fiunt, ut possint etiam non fieri.

§. 20. Quod ut eò melius intelligatur, sciendum est, dici aliquid contingens respectu causæ suæ, à quâ produci potest & non produci, vel quatehùs à causâ fieri potest & non fieri. Potest autem talis effectus comparari vel ad causam primam, qualis est ipse DEUS, Vel ad causam secundam, eamque pro-

B 30 ximam;

ximam; respectu causæ primæ nullus datur effectus necessarius, quia causa prima potest concurrere ad effectum pro suâ libertate, & non concurrere, ut ita omnes effectus respectu causæ primæ sint æqualiter contingentes. Hæc igitur distinctio unice intelligenda venit respectu causarum secundarum. Causa autem secunda duplex est, (1.) libera (2.) naturalis. Libera est, quæ positis omnibus ad agendum requisitis potest agere & non agere. Naturalis verò est, quæ positis omnibus ad agendum requisitis necessariò agit. Si causa secunda proxima est libera, effectus ab illâ procedens dicitur contingens *æqualiter*, quia sicut causa potest agere & non agere, ita effectus æqualiter se habet ad esse & non esse, seu potest esse & non esse. Dicitur hic effectus, aliàs contingens intrinsecè, non quasi contingentia effectui intrinsecè inhæreat, sed quia hoc, quod effectus contingens est, pervenit ab intrinsecâ virtute & perfectione causæ, à quâ procedit effectus. Si verò causa proxima est naturalis, quæ positis omnibus ad agendum requisitis non potest non agere, effectus hoc respectu non erit contingens, sed sicut causa necessariò operatur, ita effectus necessariò producitur. Sed accidit etiam huic effectui contingentia aliqua, si scilicet contingit, ut ob defectum alicujus requisiti causa effectum non producat tunc enim effectus, sicut aliàs potest in causa produci, ita possit etiam non produci. Hæc contingentia vocatur extrinseca, quia non provenit ab intrinsecâ virtute causæ, sed ob defectum externi alicujus requisiti. Quamvis autem hõc sensu omnes effectus causarum naturalium possent dici contingentes, ex usu tamen loquendi contingens illud solet vocari, cum effectus ab agente intentus non producitur ob aliquod impedimentum, ut
cum

cum homo nascitur sex digitis in unâ manu, hoc vocatur *contingens raro*, si verò causa proxima naturalis non fuerit impedita, cum potuerit impediri ab aliquò requisito, i. eius effectu, & effectus in sua debitâ perfectione sit productus, dicitur *contingens ut plurimum*, ut cum homo nascitur quinque digitis in unâ manu.

§. 21. Porro norandum est, quod futura contingentia sint in duplici differentiâ: quædam absolute, quæ reipsa existent aliquâ temporis differentiâ, ut veniet hora, quâ mortui audient vocem Filii DEI & vivent: quædam conditionatè, quæ non absolute existent aliquâ temporis differentiâ, sed sub conditione, si aliquid ponatur, ut, si Christus in Tyro & Sidone miracula fecisset, Tyrii & Sidonii egissent pœnitentiam. Heic Tyrii & Sidonii pœnitentiam non egerunt, & sic futurum contingens reipsa non exitit, quia conditio non fuit posita, quâ positâ ipsos pœnitentiam a cturos fuisse, certum est. Sic I. Sam. XXIII, 5. de futurò conditionatò sequentia narrantur: *Abiens David cum viris suis Kehilam debellavit Philistæos & abegit pecora eorum, cum percussisset eos plagâ magnâ. Sic servabit David habitatores Kehila. Fuit autem quando fugit Ebiathar filius Abimelechi ad Davidem Kehilam, ut descenderet cum amiculò in manu suâ. Tum nuntiatum est Sauli, Davidem venisse Kehilam: quare dicebat Saul, conclusit eum DEUS in manu meâ, quandoquidem venit inclusum se in civitate munita foribus & vecte. Et promulgavit Saul toti populo bellum, ut descendendo Kehilam obsideret Davidem & homines eius. Sed resciscens David Saulem fabricari contra se hoc malum, edixit Ebiathari Sacerdoti, applica amiculum, dixitque David: O Domine DEUS Israelis, certò audivit servus tuus, Saulem*



lem quarere, ut invadat Kehilam, ad perdendum civitatem meam causam, an dedituri sint Kehilai in manum ejus? an descensurus est Saul, quemadmodum audivit servus tuus? O Domine DEUS Israëlis indica quæso servo tuo: cui dixit Dominus, descensurus est. Deinde dixit David, an dedituri sunt Kehilai me & homines meos in manum Saulis? cui dixit Dominus, dedituri sunt. Quapropter surgens David cum hominibus suis, quasi sexcentis viris, egressi sunt Kehilam, ut indefinenter itarent, quò itare possent, quòd cum nunciatum est Sauli, Davidem se proripuisse Kehilam, destitit procedere.

§. 22. Hisce præmissis adserimus, objectum Scientia DEI libera seu Visionis non tantum præsentia & præterita; sed etiam futura absoluta tum necessaria, tum contingentia esse. De præsentibus, præteritis & futuris necessariis dubium potest esse nullum. Siquidem horum cognitio etiam creaturis competit, cur DEO autem deneganda sit, causa datur nulla. Contrarium potius hoc Syllogismo ostenditur:

Quaecunque in se sunt cognoscibilia, illa à DEO cognoscuntur; Atqui præsentia, præterita & futura necessaria sunt cognoscibilia E. à DEO cognoscuntur.

Minor extra aleam controversiæ est posita. Majorem confirmabit Infinitas intellectus divini. Repugnat enim intellectum aliquem esse infinitum & tamen non omnia cognoscere.

§. 23. Denique quæritur, an DEUS non tantum absolutè, sed & hypotheticè futura, seu quæ non nisi certâ conditione positâ & ita futuribilia sunt, cognoscat?

cognoscat? Resp. Utrique, Affirmativa enim unâ at-
que alterâ ratione stabiliri poterit (1.) *Ex intelligibilis
ratione.* Omne enim intelligibile cadit sub Omnisci-
entia divinae objectum; Atqui illud, quod futurum
est, positâ certâ conditione, est intelligibile. E. Ma-
jore clarâ probatur Minor, quia si & ipsum possibile
& conditio ejusdem sunt intelligibilia, quid ni & to-
tum compositum, futurum nempe conditionatum (2.)
Ab ipsâ futurorum conditione. Futura enim contingen-
tia sub conditione determinatam habent veritatem,
cum non nisi per conditionem ab absolutis sint diver-
sa. Positâ igitur conditione, veritas etiam ponitur
determinata. Sed respectu Scientia divinae ponitur
vel non ponitur conditio. (3.) *A Contraria sententia
absurditate.* Sequitur enim ex illâ, omnia fieri vel
absolutè necessariò, vel DEUM non omnia, quæ fi-
unt, plenè ac perfectè cognoscere. Utrumque est
absurdum. Consequentia autem est firma, quia si
futura conditionata à DEO non cognoscuntur, erit
illud, aut quia non sunt, aut quia non ita ut sunt co-
gnoscuntur. Vide Excell. Dn. Ægidium Strau-
chium in Disp. Pneum. de Scientiâ & I-
deis Spiritus Infiniti q. 3.



C

Per-

Per - Eximio atque Literatissimo

DN.

CASPARO CALVORIO,

Phil. & SS. Theol. Cultori

Strenuo

Auditori & Amico suo dilecto

Cum

Publicè disputaret

S. P. D.

Johannes Christophorus Hundeshagen / Prof. Publ. Ordin.

* *
*

PErbenè consuevit, dici svavissime
me **AMICE!**

Non procul à propriò stipite
poma cadunt:

Sic vestigia docta Patris par nobile
fratrum

Sequitur, grator commoda mil-
le precans.

Sic

Sic fatis fausto cathedram eminentem
Poplite ascendis, *Sophies* decoræ
Impiger *Cultor*, mihi prosequende
Fautor, Amice!

Sic fatis fausto pede mox licebit
Terminum optatum positum labori
Consequi jam jam dabitur *corona*
Digna labore!

*Hiscæ paucis Per. Eximio ac Humanissimo Dno.
Respondenti Amico suo per dilectum gratu-
lari voluit, debuit*

Rodericus de Tiraquellis.

MArtis in campo nitidâ coronâ
Militis fortis redimire suescunt
Tempora, ac offerre manu triumphum ob
Præmia digna.

Sic *Tibi Numen superum* brabeum
Deferet, laus eximia & sequetur,

Mascu-

Masculè pugnans *Sophia* cathedrâ in
Fautor amande!

Ita Per Eximio atque Eruditissimo
Dn. Respondenti votivâ manu scribebat

Christophorus Maltesius.


FINIS.







curio
Sca
nos 2
solve
ndre
narur
lenti
mad
fimaE
nus. I
nconur
onem
poff
anc q
culo
iz op
vri co
rustra
esse
s spes
a vo
cum
amur
& eti
EBU
cand
os pr
s He
ous f
tem
Liseo
L
ertu



DISPUTATIO ACADEMICA
De
SCIENTIA DEI
LIBERA SEU VISIONIS,

Quam
RATO NUMINIS ARBITRIO
IN ILLUSTRISALANA
SUB PRÆSIDIO
VIRI AMPLISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI
DN. JOH. CHRISTOPHORI
Hundesghagen/Log. & Philosophiæ
Primæ Professoris Publici Ordinarii,
Publicæ & placidæ ventilationi exponit
RESPONDENS
CASPARUS CALVORIUS,
Hildesienfis Saxo.
In Auditorio Philosophorum horis solitis

JENÆ,
Litteris MÜLLERIANIS, X 150 (72)
ANNO M. DC. LXIX.

